

(2) Consultò hic omittimus Jus exequendi res mediatos Imperii cives concernentes, non enim, nisi de immediatis modò agere constitutum nobis fuit, illarumque rerum Executionem spectare ad Territorii Dominum, & post hunc ad Circulos, constat ex *Ordinat. Cameral. de Ann. 1555. Part. III. Tit. 4.* aliisque Imperii Recessibus, in specie novissimo *Ratisbonens. de Ann. 1654. §. 160.* Omittimus & Jus exequendi Sententias ab Austregis latas; his enim, cum eam tantum Executionis speciem tribuamus, quæ judicialis dicitur, & fit jussu & imperio, per ea, quæ tradidit B. HENRICUS de COCCEJUS, in *Dissert. de notion. & Execut. Austregar. per tot. in specie cap. 2.* & prodece nendâ Executione reali implorandam esse Cameram Imperii Judiciumve Aulicum censeamus cum GAILIO, BLUMIO, REINKINGIO, aliisque, quos citat B. Dn. JO. GRAVE in *Disp. de Austreg. §. 20.* nobis autem de reali Executione, ejusque suscipiendæ perficiendæque Jure sermo hic sit, hinc facile patet, referri Executionem Sententiarum primæ hujus Instantiæ hûc non debuisse, sed comprehendî jam sub secundâ rerum exsequendarum Classe. Hæc tamen omnia de Legalibus tantum Austregis sunt accipienda; Conventionalibus enim, imò & Legalibus quin pacto hæc dari possit potestis, quod & actu dentur Austregæ isthac potestate præditi, nullum est dubium.

§. 3.

Jam, quod ad ipsum Jus Executionem decernendi attinet, negandum id non est, in genere, & de Regulâ ad Imperatorem id spectare in rebus, quæ sub censum priorum trium (1) Classium veniunt, ceu per singulas eundo species in subsequentibus demonstrabimus Capitibus. Notandum tamen & hoc est, ita penes Imperatorem Jus hoc persistere, ut non, nisi ejus Circuli, in quo perficienda est Executio, *auschreibende Fürsten* (2) Ducesve ad hunc actum queat eligere; ut adeò, si penitus rem lustremus, appareat, accensendum esse hoc Jus decernendi Executionem iis Imperatoris Reservatis, quæ Suo quidem nomine, non tamen ex voluntate, sed ad normam Capitulatione aliisve Imperii Legibus præscriptam peragit, eum scilicet in finem, actui ut